

www.e-rara.ch

Epistolae ad Joannem Keplerum mathematicum Caesareum scriptae

Kepler, Johannes

[Frankfurt und Leipzig], anno aerae Dionysianae 1718

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 2701

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-67400>

[Epistolae CXXI–CXL.]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

1614. cia animo quam promptissimo tibi prestare non desinet. Sed & ego exinde colligam, aliquam adhuc mei memoriam apud te conservari, quod & unice opto & rogo; tu autem per occasionem literis tuis benevolis declarabis. Vale. Dabam *VVitebergæ*, XXI Nov. CIO IOCXIV.

EPISTOLA CXXI.

IDEM

JOANNI KEPLERO.

REcte ego potuissim omne literarum officium in posterum negligere. Ex eo enim, quod nihil omnino literarum mihi fuit ad meas redditum, sine acumine videre debui, quod aut literæ meæ gratiam apud te exuissent, aut nimis jejuna non fuissent ad salivam. Alterum quidem non spero, alterum vero ut corrigatur, dabo operam, quam potero, sedulam. Ut enim illius causam aliquam dicam, parum mihi temporis, propter alia negotia licuit studiis, quæ habemus communia, tribuere, ut interim reliqua taceam, quæ propter discipulos ætate pares, in aliis coactus fui suscipere. Cum itaque in posterum aliquanto mihi clementius ocium pollicear, si placebit interdum Præceptoris cum discipulo de talibus conferre, quæ Præceptoris quidem eruditionem non augeant, at operæ tamen aliquid minuant, laborem non nimium non recusabo, beneficiique oblatis, quam diu hunc duxero Spiritum, non ero immemor. Cæterum ignoscendum erit & his admodum exsuccis ac exsanguibus meis literis. In Ungariam vocatus hic, qui tibi tradet literas has, M. Casparus Choli-
*M. Casparus Choli-
nus.*

ticis ex animo faveat, sed ipse etiam aliquem profectum in eo fecerit, maximopere à me contendit, ut tui jam quasi illius superioris Machinæ Rectoris & Administratoris & alterius Atlantis, sine enim, sic loquar, minus amicitiam, at certe notitiam conciliarem. Quantum itaque possum, hunc tibi, fide perspecta, eruditione non vulgari, moribus etiam compositis Dominum M. Casparum commendo, ac peto, ut illum etiam aliqua in parte tuorum esse permittas. Denique præsentem se totum tibi ipse probabit. Laboro jam cum D. Jöstelio in constructione Baculo-
*Rhodii & Jöstelii Ba-
culi stereometrici.*

rum, quorum usus & facilis & compendiosus est in arte Stereometrica. Et mentione facta hujus D. Jöstelii, non dubito, tibi sanguinem peculiaris excitare in pectore motus. Scripsisti ad illum doctas, easque prolixas literas: nihil ipse respondet. Sed ipsius nomine jam respondeo, tantum ocii, quantum ad illarum saltem cognitionem, speculationum plenissimarum, nondum superfuisset. Et, si fieri posset, optaret, ut schematibus & literis potius agatur, quam oratione. Ut enim & ego fatear, una cum Oedipo vel Apolline, ipse aliquot dies, carum tempus, infumeret, quam illas eruditæ speculationes assequeretur. Dudum etiam respondisset: sed mallet potius expectationi toti respondere, quam alicui non respondere. Fac, quæso, ut proximis tuis literis certum sciamus, an dubia an vero certa vobis vivatis spe. Prodromum tuum etiamnum expecto. Vale, & vive felicissime cum conjugæ dilectissima, & filia letissima, quas vellem officiosissime à te meis verbis salutari. XIV Cal. Jul. styl. vet.

EPISTOLA CXXII.

IDEM

JOANNI KEPLERO.

Equidem, Vir præstantissime, dudum mirabar, quorsum illud tuum

um silentium evaderet. Ecce autem quod magis mirabar, dabantur xxv Julii, quæ xi Maji à te fuerant per-scriptæ literæ. Harum intuitus pri-mus non poterat non intimos meos movere sensus, propter tristissimum illum, at diu multumque consiliis periculosis agitatum, D. Pauli O-dontii casum. Nimirum & prævisa nocent tela! Verum quod tu hac in re à me fieri voluisti, suppresso & nomine & patria fratris, tam cito reddi a me expeditum non potuit. Sed neque hic tamen quam diligen-tissime de ipso perquirere desistam. Quod & Philippo Saltzochsio per te significari vellem, quem prosperri-ma felicitate semper frui optarem. Silentii Jösteliani ad tuas illas ac pe-ne, pace tua dixerim, obscuras lite-ras, potuisti ex superioribus meis cognoscere causas. Quibus & insu-per occupationes ipsius addo, quæ ipsi tantum temporis non conce-dunt, ut possit ad illas tuas specula-tiones, quæ requirunt animum at-tentius & sollicitius intendere. La-boravit hætenus in Stereometricis; absolvit. Sequentibus septimanis au-ditoribus suis publice proponet. Præ-manibus habet libros Euclidis Arith-meticos. Quæ sane animum ipsius à speculationibus Astronomicis avo-cant, & ad illas non admittunt. Fe-licius se unum tractare ait. Illis ab-solutis & perfectis, rursus ad Astro-nomiam animum adpellet. Maxi-mas vero tibi debere se ait gratias, quod tam sollicite apud alios ipsius geras negotia. Nihil enim potest esse aliud, quod Triangulorum edi-tionem impediatur, quam sumptuum defectus. Omnia dudum perfectio-nem sunt affecuta, & cum primis et-iam, quod præter cætera optabas, prosthaphæretice per sinus possunt solvi non solum ea Triangula, quæ vel in secundo, vel tertio regulæ lo-co habent sinum totum: sed etiam ea, quæ sinum totum in nullo loco habent; ita tamen, ut prius secan-

tium beneficio reducantur termini ad primam regulam prosthaphære-fium, quæ semper in primo loco ha-bet sinum totum. Sinus enim totus medio loco proportionalis est inter Secantem arcus & sinum arcuum Complementi. Verum & optarem, libellus Triangulorum manu Jöstelii scriptus, sine hæredum ulteriori in-vidia tibi monstraretur. Quod si autem non potest, D. Matthæus illa omnia præcepta, sine tamen demon-strationibus, habet descripta, is pot-erit. Mitterem ipse descripta: sed ô tempus! Occasione tamen prima illas duas regulas una cum demon-stratione & exemplis mittam. Pro-xima visitatione istorum exemplar exhibuit D. Jöstelius. Adhuc nescit, an quadam munificentia aulica opus ipsius possit promoveri. Spes aliqua est. Si non faller, pro-blemata pleraque Astronomica qua-dringenta circiter additurus est. Rationes hæredum Tychoniano-rum, æque & invidiæ & negligentia notas subeunt. Cur enim non e-de-rent Librum Epistolarum, Progy-mnasmata item & Phænomena, quæ vocat? Credo, futurum hoc cum ma-ximo ipsorum detrimento & incom-modo. Simul autem & gaudeo, quod SACRA CÆSAREA MAJE-STAS non habitationem solum, sed stipendium, opinor, etiam hone-stum, tibi prospicit. Utinam, in Reipublicæ literariæ commodum, per te in hoc genere multa & tenta-rentur ingeniose, & perficerentur feliciter. Sic enim futurum esset, ut & Astronomia restauraretur, & A-strologia ruinosa suffulciretur. Vide modo, ne, quod Aristoteles & ipsius Interpretes sunt experti à Ramo; idem antiqui Astrologi, ignosce ta-men & mihi & Jöstelio, à te expe-riantur. Quas à me fieri vis addi-tiones 3600, eas, ut succisivis horis expediam, laborabo. Expectabamus à vobis Observationes Cometæ illius pectori Cygni vicini: Styriacorum

item

D. Pauli
Odontii
casus.

Jöstelius
Arithme-
ticis stu-
diis dedi-
tus.

Jöstelii li-
ber de tri-
angulis sol-
vendis.

Et qua-
dringenta
Problema-
ta Astro-
nomica.

Tychonis
Opera
posthuma.

item periculorum, quæ a Turcis ipsis impendent, expositionem: Prodromum denique tuum sæpius petitum. Aderant hic XIX Julii Chimanchæus & alii Legati, ac incidebant in ipsam illam Concionis Hunniana partem (explicabat textum de Concilio Hierosolymitano in Actis Apostolorum) qua de Controversiarum judice & primatu Papæ commodissime agebatur. In tempore enim venire rerum omnium est primum. Stipendium Mathematicum L florenorum in singulos annos, mihi ab Electore mittitur. Nunquid placet iudicium Catholicum de proximo Colloquio. Vale quam felicissime cum Coniuge & filia, ac sine me esse in parte, qua hætenus apud vos, spero, fui. Si quid literarum volueris huc mittere, poteris illud tradere M. Andrea Schillingio apud D. Hoffmannum. Is enim semper curabit huc perferri. Iterum vale. Saluta Coniugem & filiam, & Matthæum. *VVitebergæ, XXVI Julii styl. vet.*

EPISTOLA CXXIII.

IDEM

JOANNI KEPLERO.

1624. **E**St vero, Vir celeberrime, Fautor & Amice colendissime, quod tibi gratuler, mihi que gaudeam, cum jam demum certo cognoverim ex præsentate hoc Reverendo Domino Magistro Greisla, meo item amico, te intra istos tumultus bellicos non servatum modo; sed etiamnum optime valere & vivere. Deus etiam porro tibi adsit, teque bono literario diu servet incolumem, ac pro tot exantlatis laboribus largissime concedat, quæ olim senectutem tuam possint sublevare. Gratissimum juxta fuit, quod Tabularum Rudolphinarum perfectionem idem mihi significavit, nec quicquam deesse amplius, quam ut Imperatoris sumtu videant lumen, publicique juris fiant.

Tabularum Rudolphinarum paratur editio.

Utinam autem primo fiat tempore, 1624. ut ipsarum veritate etiam mearum observationum veritas examinari queat. Si quid opera mea ea in re, si forte consilium esset mutandum, præstare tibi poterit, lineis vel paucissimis exponito. Faciam ego fideliter, quod vetus illa nostra amicitia, illaque tua singularis erga me benevolentia olim mihi luculenter præstita, fieri a me volunt. Vale iterum atque iterum tota tua cum familia, ac favore tuo foverem perge. Dabam *VVitebergæ, prid. Cal. Septembr. CIO IO C XXIV.*

TUÆ CLARITATIS

observantissimus

AMBROSIUS RHODIUS D.

EPISTOLA CXXIV.

GEORGIUS ROLLENHAGENIUS

JOANNI KEPLERO.

ET si ego, Excellentissime Vir, non 1602. potui ad summorum Astronomorum artem emergere; tum propter Præceptorum penuriam, tum propter facultatum tenuitatem, quæ mihi perpetuis & difficillimis Pædagogis sarcinæ fuerunt, inde à prima pueritia usque ad hodiernum diem; ut expertus sim illud:

Pluribus intentus minor est ad singula sensus:

Amavi tamen occulto naturæ ductu artem ipsam, & artifices colo ac veneror. Nihilque mallet, quam ut Tycho ipse suis laboribus summam manum imposuisset, & substrato Astronomiæ fundamento, Astrologiam quoque à viciis & conviciis vindicasset. Sicut crebræ meæ testabuntur literæ, etiam in Daniam ante multos annos ad ignotum scriptæ. Cum vero aliter Deo visum sit, atque is tandem per Vrsianum quoddam venenum, proh! nimium immatura morte periit, tantum enim

Mortis Tychoonis causa.

B b

sympto-

1602. symptoma ex retentione urinæ in tam vegeto corpore, ante Climactericam periodum existere prorsus nequit : Gratulor arti & mihi, de te successore tali, qui & notus est Pontifici, & artem ipsam amat & intelligit, & arguta oratione tradere ea & explicare potest. Et tibi post DEUM propitium Imperatorem, robor vitæ & valetudinis diuturnum, divinamque contra æmulos custodiam toto pectore precor. Atque te amanter oro, ut tu jam pro Tychone Eutychnus me in amicitiam receptum mutuo ames. Si quid erit, quod ego tibi ad testificationem animi mei facere potero, efficiam, ne vel benevolentiam vel fidem in me desideres. Inprimis autem placet mihi Progymnasma tuum de prognosticis tempestatum & politicorum negotiorum eventu vulgaribus. Natus est ante annum apud nos Doctor novus Barnimus à Stuer, qui impudentissime anno præterito Imperatori mortem prædixit : Duci vero Brunsvicensi coronam: Viduæ Electoris Brandenburgici Regem Poloniae. Is ex arte nostra ne novilunium aut cœli thema quidem definire aut invenire posset. Ut coram homini impudentissimo in faciem dixi. Tamen prædicere conatur particularia, quæ, etiam Ptolemæo teste, tantum sunt $\Theta\epsilon\omicron\pi\upsilon\epsilon\upsilon\varsigma\omega\upsilon\nu$. Sed ut famem alat, ex aliorum deliris scriptis majora deliria conficit. Hæc Calendaria velim tuos amanuenses conquirere, paradoxa excerpere, & ex fundamentis sic diluere, ut Tycho fecit de Observationibus novæ stellæ. Ut tandem audiant, quod eis dignum est. Ignosce justæ indignationi. Et me, sicut rogavi, redamantem ama. Bene & athleticè vale. Magdeburgi, XXII Febr. CIO ICII.

Inscriptio.

Excellentissimo & doctissimo Viro,
Domino JOANNI KEPLERO,
Philosophiæ & Medicæ artis cupido,

S. Cæsar. Majestatis Consiliariorum 1602.
Astronomo laudatissimo,
amico suo.

EPISTOLA CXXV.

JOHANNES MULLERUS
JOANNI KEPLERO.

TRadidit mihi, mi amantissime, 1602. doctissimeque D. Keplere, Amice singularis, literas tuas Daniel Leuthold, quæ quam gratæ acceptæque mihi fuerint, vix eloqui possum. Scribis autem, te antea quasdam huc misisse : verum eæ ad meas manus non pervenerunt, alias certe responsionis officium non neglexissem. Nunc autem, cum Socer Hortulani Cæsaris Pragæ se conferre voluit, quod paulo ante ipsius discessum mihi jamjam Francofurtum cis Oderam abituro innotuit, hisce te compellere necessitas, amicitiaque jus me cogunt. Certior fieri à me cupis, an & quibus conditionibus Cæsari posthac vellem inservire. Ad id me promptum & paratum declaro. Siquidem Mathematica, quæ omnino hic à me negliguntur, mihi magis arrident, quam aulica, majorique alacritate nunc hæc studia ibidem tractarem, quam antehac, dum nimia severitate, præcoci festinatione, uti optime tibi constat, pleraque agerentur. Et certe jam successum ad optatum exitum perveniendi sperarem felicior, si modo Cæsarea Majestas negotium hoc perpetuare vellet, ne, si fortasse (quod DEUS avertat) humanum quid accideret, nos miseri Astronomi miseram cogeremur exercere Astronomiam, non quod de ipso Cæsare diffidam, sed quod multi inveniantur, qui fortasse nos magis infinitis modis impediunt, quam artem ipsam promoveant. Veruntamen, ne absque filo Labyrinthum hunc ingredi videar, consulo, ut tu interea rem omnem eo dirigas, quo postea in omnem eventum securi & tranquill

Keplerus
Pontifici
innotuit.

Kepleri
Progymnasma
de Prognosticis
vulgaribus.

Barnimus
à Stuer.

1602. quilli possimus vivere, alias vix quicquam audebo. Et quam primum voluntatem Cæsaris, quidque salarii mihi cedit, intellexero, me tibi in omnibus pro posse meo fidum Achatem præbebo, insuperque non solum Cæsareum Astronomicum vetus, quo scis Cæsarem valde delectari, quodque ante annum recudi voluit, sed etiam novum Coperniticum & Tyronicum collata nostra mutua opera construere volumus. Ad astronomica, quæ in literis tuis continentur, jam respondere non vacat, brevi autem, cum Illustrissimus noster Elector, cui ancipitem & adhuc dubiam hanc meam ad vos migrationem superficialiter exposui, se resolveret tecum de his & aliis, mallem autem oretenus, uberius agam. Interim cum conjugæ & filia Regina quam felicissime vale. Salutat vos omnes Concordia mea; præcipue autem Barbaram cum Barbarula, de qua tibi gratulor. Dabam Colonia ad Sprenam, $\frac{21}{21}$ Junii 1602.

Inscriptio.

Ornatissimo atque Eruditissimo Viro,
Domino M. JOANNI KEPLERO,
S. CÆSAR. MAJESTATIS
Mathematico eximio, Domino
& Amico suo percharo
PRAGAM.

EPISTOLA CXXVI.

IDEM
JOANNI KEPLERO.

1602. **L**uctuosissimus, mi amantissime Domine Magister Keplere, Amice suavissime, obitus Electorissæ nostræ, cui perendie exequias acerbo parat officio Elector, me jam impedit, quo minus prout deberem, literis tuis respondere potuerim. Verum D. Danieli Leuthold ad vos excurrenti has concredidi, qui tibi eas ad manus proprias porrigere promisit, ex quo plura meum sta-

tum concernentia intelliges. Cunctationem illam aulicam & dilationem redimendorum instrumentorum Tychonis admodum ægre fero, siquidem interea observationes negligantur, instrumenta ipsa rubigine inficiantur, & restitutio motuum hæcenus a multis desiderata intermittatur, librique impressi non sine ingenti rei literariæ & hæredum damno in occulto lateant, auramque publicam non intueantur. Quapropter Cæsari hæc non cordi esse suspicor, vel Consiliariis omnino displicere. Verum si serio res ageretur, competentique modo institueretur, a proposito meo, tibi antea indicato, non deflecerem. Tu interea quid factum sit, vel futurum speras, mihi significes oro; avide enim hæc cognoscere cupio.

Scribis præterea, si experimenta quædam in catoptriciis haberem, ut ea Cæsari aperirem: ad hoc respondeo, apud me nihil certi esse. Nam ob sumtum, qui ad hæc requiruntur, penuriam me in ejusmodi speculis fabricandis non exercui. Possibilitatem tamen literas disco Lunæ inscribendi astruo, & per minora nostra communia specula ad oculum demonstrare scio. Si fortasse aliquid in hæc impendere fortuna concederet, non intentata relinquerem. Correxit, uti scis, noster Tycho dimensiones orbium quinque Planetarum, quas te ex ipsius observationum libris partim transcripsisse, partim ultima lima elaborasse reor. Si mihi eas una cum mediis annuis tantummodo motibus Epochisque certis restitutis, mitteres, rem gratissimam mihi faceres. Generale enim Organum Coperniticum delineare decrevi, quo confecto gratiarum actionis loco & tibi unum cedit. Si que Cæsare dignum opus judicaveris, Ipsius Majestati submisisse mittam. Poteris omnia in una vel altera hora colligere, quæ ad hoc mihi sufficiunt: faciam, ut hujus laboris tui te non

Jo. Mülleri
Organum
Coperniti-
cum gene-
rale.

1602. non pœniteat. Omnia autem, quæ communicaveris, secreta apud me latebunt. Hisce te Valere jubeo, quem una cum uxore & filiabus, quibus Concordia mea multam precatur salutem, Deo Opt. Max. commendo. *Dab. XVII Octobr. Anno MDIOCIJ.*

EPISTOLA CXXVII.

IDEM

JOANNI KEPLERO.

1608. **A**dmodum lætatus sum, mi amatissime Keplere, visis tuis & perceptis literis, quæ auro mihi quovis chariores fuere. Officii mei fuisset, te crebrioribus literis interpellare, sed multitudine negotiorum obstructus, id neglexi. Illustrissimus Elector noster occupatus est jam in connexionione duorum fluminum Havilæ & Oderæ. Ego librationes aquarum institui & perfeci, invenique Havilam LIV ulnis Odera superiorem, vel à Centro Terræ, quod ego punctum Mathematicum esse statuo, remotiorem esse. Perficitur autem id decem claustris, (*mit zehn Schleussen*) egoque Architecti & Tribuni ærarii munere fungor. Spero autem hosce labores futura æstate absolvi posse. Idem Elector aperuit præterita æstate scholam, qua 170 pueri aluntur, in ea ego Mathematicum Professore ago. Schola à flumine, quod nominavi, duobus tantum miliaribus distat, unde brevi tempore illuc avolare poterò. Conditiones meæ tolerabiles sunt: donavit me Illustrissimus Princeps meus Villa quadam, cum domuncula fatis eleganti, quam cum suis pertinentiis 1200 Joachimicis non venderem. Insuper promisit mihi 1000 Joachimicos, quibus mulctabitur nobilis quidam, qui cervis insidias struxit. Hos me brevi accepturum spero. Salarium meum jam est 300 Joachimicorum, & aluntur mihi duo

Havilæ & Oderæ conjunctio tentatur.

equi; oportet me jam mea forte contentum esse. Grata mihi sunt omnia, quæ de tuo tuorumque statu & salute, itemque de conditione hæredum Tychonis scripsisti: Tengnaglius cur tibi invidet? Si præstare & efficere id posset quod tu, tunc merito invideret; tu autem in proposito pergas, æternum tibi comparabis nomen. Muneris loco pro libro tuo transmissio, quem præterito Februario Francofurti emeram, Magnetem remissem, sed vividum & vegetum non habeo. Est mihi frustum quoddam magnitudine ovi asserini, sed est effectum, ut credam ipsius virtutem mortuam esse, statuoque, ipsorum Magnetum vitam cum à matre terra avulsi sint, ad tempus tantummodo durare. Propterea doleo, quod petitioni tuæ morem gerere non possim. In Bohemia & præcipue in Valle Joachimica facile, uti spero, eo quod ibidem effodiantur, quendam nancisci poteris. Cum Concordia concorditer adhuc vivo mea. Arcturus meus ante triennium misere periit morte violenta, non sine mœrore conjugis meæ. Non plura jam addo, nisi quod tibi, Uxori & soboli prosperrima multa precer. Peto autem officiosissime, ut me, sive solus, sive cum Coniuge, futuro vere visites, eritis mihi hospites gratissimi: simulque tecum fer in schedula annotatas dimensiones orbium Planetarum correctas, & medios motus limitatos &c. apud me secreto loco manebunt. Vale & felicissime Vive, & me visita, ut petii. *Dab. ex Valle Joachimica Nova qui locus est nostri Gymnasii. Die XI Jan. Vet. Cal. Anno MDIOCVIII.*

Magnetum Vita.

EPISTOLA CXXVIII.

DAVID ORIGANUS

JOANNI KEPLERO

ET si, Clarissime & Doctissime Domine Keplere, nulla tecum mihi familia-

1602.

1602. familiaritas, ut quis nec faciem tuam unquam vidi, nec literis ullis te alloquutus sum. Hoc tamen velim credas, te ob eximiam virtutem & scientiam rerum Mathematicarum jamdudum mihi in intimis hæsisse medullis. Et quomodo non amarem eum, cujus egregia ingenii monumenta & mysteria Cosmographica non tantum me, verum omnes Mathematicis studiis addictos mirum in modum recreant & oblectant? Pereant ergo qui hujusmodi ingenii insidiantur, eaque à sedibus fixis exulare jubent, quæ fovere, & muneribus ad obeundas functiones invitare, consultius & sanctius fuisset. Sed forte mutatio tecum facta est in melius, quæ & tibi honori majori est, & studiis Astronomicis provehendis plus in posterum inserviet. Hac enim ratione in summi illius siderum Observatoris Domini Tychonis non modo familiaritatem intimam deductus, sed & omnium observationum per aliquot annos summo studio & maximis impensis habitarum & consignatarum particeps factus es: ex quibus, post obitum Domini Tychonis nimis immaturum & nobis merito lugendum, restitutionem totius Astronomiæ, facile institues, quam vel à te unico etiam speramus & expectamus, cum neminem iis subsidiis instructiorem te esse sciam. Conservet te Deus & nostris studiis quam diutissime. Unicum autem est, quod hoc tempore à Te precibus contendere non erubescio, quod etiam ad testificandam amicitiam nostram, quam unice expeto; haud difficulter largieris. Expertus sum motum luminarium, quem nobis Revolutiones Copernici, & tabulæ Prutenicæ exhibent, admodum à vero aberrare, idque quotidianæ observationes ad rariora luminarium accidentia Eclipses luculenter testantur. In Sole vero animadverti satis feliciter emendationem tentasse & absol-

*A Keplero
Astronomiæ,
Restauratio
expectatur.*

viffe Tychonem, cujus restitutio- 1602.
nem publici juris fecit Dominus *Christ-
manni ob-
servatio-
nes Sola-
res.*
Christmannus in observationum Solarium libris tribus, cum motum illum cælo accurate respondere deprehenderim. Quando ergo non dubitem, in Luna Tychonem similiter ita laborasse, ut hypotheses ipsius, & tabulæ hypothesibus accommodatæ cælo exacte congruant; & ex fide dignissimis viris cognoverim, motum Lunæ à Tychone duplicibus hypothesibus esse explicatum: *Tychonis
hypotheses
Lunares
duplices.* prioribus in Dania, quæ non sufficiunt, quas mihi communicatas non diffiteor; posterioribus Pragæ, quæ omnia *Φαινόμενα* Lunæ accurate explicant: Te de his posterioribus compellare amice volui, summo opere orans ne illarum mihi deroges communicationem. Primum enim certo scio, hanc posteriorem emendationem in tuis versari manibus, quam pro eo, quo te complector, amore mihi quoque offerre non recusabis. Deinde publici commodi causa quævis faciendæ sunt. Animus autem mihi est in altera Ephemeridum mearum editione, quam jam auctiorem, ad annum usque Christi 1610 cl. adorno, motum Luminarium duplicem, Copernicæ & Tychonianum proponere, cum Calendariis fere omnibus hoc tempore in orbe terrarum usitatis. Ut ergo hac in parte publicum commodum juves oro, cum laborem supputandi ex tabulis Tychonianis motum Lunæ non defugiam. Quod si feceris, me ita tibi devinctum habebis, ut quævis tua causa in posterum sim facturus. Nec pluribus hoc tempore rem apud te ago, præsertim cum convictor hic meus Dominus M. Jacobus Bruwerus, cui notissima sunt mea studia, & mea postulata, reliqua, quæ desunt, sit adjecturus: sed potius amicum tuum responsum, & amicam communicationem eorum, quæ petii, expecto. Vale & siderali scientiæ perficiendæ diutis-

1602. diutissime vige & flore. *Frankofurti ad Viadrum die XXV Julii* CIO IO CII.

EXCELLENTIÆ TUÆ
addictissimus.

M. DAVID ORIGANUS,
Professor ibidem Mathematicus.

EPISTOLA CXXIX.

IDEM

JOANNI KEPLERO.

1605. **C**Larissime & Excellentissime Domine Keplere, amice colende: Quod literis tuis ante triennium fere per M. Brauerum ad me humanissime scriptis non respondi; causa est, tum quod materia idonea ad scribendum caruerim, tum quod occasiones, mihi in umbratili studiorum genere occupatissimo, Pragam mittendi meas, defuerint. At nunc paucis accipe. Absolvi tandem post laborem quinquennale, Dei beneficio, opus Ephemeridum annorum LX, ad annum usque Christi CIO IO CLV; in quo utriusque luminaris motum, Lunæ etiam ad Eclipticam reductum, Syzygias, & Eclipses supra tamen Horizontem nostrum tantum, duplici calculo Tychonico & Prutenico, reliquorum vero Planetarum motus, simplici Prutenico propono, cum præcipuis hoc tempore passim apud diversas nationes usitatis temporum numerationibus seu calendariis. Ad quod opus ita concinnandum mihi autores & investigatores fuere, non modo professio,

*Origani
Ephemerides.*

sed & Patroni & amici mei, quorum 1605. autoritatem & voluntatem in me propensam maximi semper feci, & adhuc facio. Cumque jam typographo demandandum & tandem ipsis bibliopolis committendum sit, quorum hæc est natura, ut quæstui suo in temere recudendis aliorum scriptis nimium indulgeant: egoque verear, ne impensæ primæ jacturam faciant, arctare & restringere editionem, & aliis præcidere facultatem recudendi privilegio Cæsareo constitui. Ad id ergo impetrandum supplices ad Cæsaream Majestatem dedi literas, teque per amicitiam nostram, imo per Uraniam, quam uterque colimus, oro & obtestor; juves me in acquirendo privilegio, eumque mihi favorem exhibeas, quem in ipso opere passim, honorifica mentione tui nominis amorem tibi declaro (*). Quod si feceris, vere, ut antea, ita in posterum magis, hominem Mathematicum, in quo nihil fucatum, cujus sincerus sit animus, te judicavero: & me tibi ita obstrinxeris, ut non tantum exemplari donandus, sed & aliis grati animi officiis prosequendus & remunerandus sis. Sin minus, quod tamen de te, nec debeo, nec possum, suspicari: opus ipsum nihilominus publicabitur. Quomodo enim tantos apud me labores interire paterer, ut non aliis iis inservirem; cum ideo etiam nati simus, ut quisque pro virium suarum modulo publicum commodum promoveat. Et en discipuli mei Justi Weneri descriptionem

Eclipsi-

*Justi Weneri
descriptio
Eclipsium
anni*

(*) Opto ut ipsi bene fiat, cum ob laborem susceptum, tum ob benevolentiam, qua me complectitur; denique quia humanitatis est, petentibus, quantum fieri potest, indulgere. *1605.* Caterum vota ipsius non probo, nihil enim ipsi profuerit Privilegium; nemo imitabitur, & Typographum in damnum inducet. Expectantur enim mere Tychonica. Laborem suscepit in Sole & Luna utilem; sed publicationis forma non placet. Hoc agat, Solis & Lunæ Ephemeridas differat, donec alius, vel ipse etiam, ex Tychone reliquos planetas adjunxerit, & sic communi authorum nomine Ephemerides edantur mere Tychonica. Etiam hoc considerandum, quod ab anno CIO IO XCVI in annum CIO IO CXXXVI jam edidit Ephemeridas ex Prutenicis. Nunc recudit cum auctario Solis & Lunæ ex Tychone & cum prorogatione ab anno CIO IO CXXXVI in CIO IO CLV. Idem motus Solis & Lunæ repetetur in Ephemeridibus mere Tychonice. Videtur noceri rei domesticæ Mathematicorum (qui sunt plerumque pauperes) aut certe studiis ipsis: Sed tamen hoc Stadius, hoc Maginus, alique idem fecerunt. Ad minimum hoc in privilegio cavendum, ne alii sit interdictum motus Solis & Lunæ ex Tychonico calculo proprio Marte computatos de novo excudere, ubi reliqui Planetæ ex Tychonico calculo accesserint: non obstante, quod in scrupulo consentiat hic repetitus labor cum suo. K.

1605. Eclipsium hujus anni, Tychonico & Copernicæo calculo, elaboratum, in qua & tui meminit. Optamus sane omnes, ut quas sub manibus habes observationes Tychonis, hypothesebus novis vincias, iisque motus cælo exacte correspondentes nobis demonstres & communices: unde nunquam intermorituram apud posteritatem tibi comparabis laudem & gloriam. Nec ego mea, imo non mea sed Copernicæa in reliquis Planetis tanti facio, ut non melioribus libentissime sim concessurus locum. Deprehendi enim ea à cælo multum aberrare. DEUS ergo te Reipublicæ diutissime salvum & florentem conservet. Referrem, quomodo te Academia Regiomontana in Borussia commendaverim, compellatus ante biennium per literas, ut Professionem ibidem susciperem, vel, ut monstrarem idoneum aliquem artificem, qui in illis locis Mathematica exerceret, & profitendo & scribendo, & mensurando: sed melius aliis, ut meum de te iudicium referant, committo. Tu favore tuo me complectere, & fac intelligam, me, qui te magnifacio, à te amari: & cum tuis vale. *Francofurti VIII Augusti MDIOCV.*

EPISTOLA CXXX.

IDEM

JOANNI KEPLERO.

1609. **E**T si Clarissime Domine Keplere, intra quadriennium bis ad te scripsi, tuam de æquatione temporis Tychonica duplici, altera Solari, Lunari altera, sententiam requirens, quæ simul difficulter consistere possunt, & exemplum fundamenti tui Astrologici, quod apud nos nunquam proficit, unice abs Te petens: tamen nullum ad literas illas recepi responsum, vel quia occupationibus plurimis distraheris, vel quia literæ tibi non sunt traditæ. Primas per Doctorem Schwalbium paulo post

mortuum afferi curavi, eo ipso tempore, quo privilegium ab Inviçtissimo & Gloriosissimo Imperatore petii, quod ejus intercessione & opera quoque mihi est indultum. Alteras per nobilem Absolonem à Doneg in Zdanitz popularem meum ad te misi. Ut vero res sese habeat, sive acceperis, sive non meas, hoc tamen te oro, ut si mecum, quod credo, non consentias in æquatione temporis, quam Ephemeridibus meis noviter jam editis inserui, non illico publice contra me pugnes, sed prius privatim de tua sententia memoneas, quam si convenientem videro, mea mutata, in tuam lubens ivero, sin minus, causas tibi privatim aperiam, quare eam recipere nequeam. Cumque in gratiam Mathematicorum præcipue meas Ephemeridas publicaverim, exemplar unum solutum ad te, quem in Mathesi singulariter suspicio & laboribus tuis multum tribuo, mittere volui, quod tribus illis junxi, quæ ad Cancellariam Latinam Imperatoris destinavi, quorum unum compactum Imperatori Inviçtissimo Domino meo clementissimo, cum adjunctis hisce literis offerri cupio, reliqua duo soluta in Cancellaria relinqui, vel quibus debentur, exhiberi poterunt. Hoc vero abs Te majorem in modum peto, ut in eximendis ex vase exemplaribus simul attendere velis, cum partes varie distractæ sint, quo jungenda jungantur, nec temere exemplaria, quæ integra sunt, mutilentur. Nec chartæ superflua tegumentorum loco additæ tam facile turbabunt collectionem, cum omnes habeant faciem alteram nudam in qua nihil scriptum. Atque hoc sane haud invitus nostris cummunibus studiis tribues, tibi que persuadebis, si quid tua causa vicissim facere possim, me nihil officii intermissurum. Quod restat rogo, ut cum Maginus Italus iniquus nobis Germanis, literam mihi mo-

*Magini
cum Ori-
gano con-
verit, traversa.*

1609. verit, ne tu Germanus me & disciplinam nostram Mathematicam deferas, sed, quod facis, strenue partum in hac decus tuearis, nec illud nobis Germanis eripi sinas. Habebis me in omnibus promptissimum. Vale, meque, qui te colo, ama, Vir Deo & Musis carissime. Dabam *Francfurti* raptim *Calendis Septembris* CIO IO CIX.

EPISTOLA CXXXI.

EDMUNDUS BRUTIUS
JOANNI KEPLERO.

1602. **S**pero, mi Excellentissime Keplere, te meas accepisse literas Patavii datas: nunc tibi has à Florentia mitto, quibus te certum facio, quod mea fors fuit cum Magino concurrere in eodem curru à Patavio usque ad Bononiam, in cujus domo amice acceptus per diem noctemque mansi, quo temporis curriculo honorifice de te locuti sumus. Prodromum tuum ei ostendi, dixique, te summopere admirari, eum nunquam tuis literis respondisse: ast ipse mihi juravit, se nunquam antea tuum Prodromum vidisse; sed ejus adventum quotidie diligenter expectasse, mihi que fideliter promisit, se suas ad te literas brevi mittere velle, teque non solum amare sed etiam pro tuis inventis admirari, confessus est. Galilæus autem mihi dixit, se ad te scripsisse, tuumque librum accepisse: quæ tamen Magino negavit, eumque, te nimis leniter laudando, vituperavi. Nam hoc pro certo scio, se tua & sua inventa (suis auditoribus & aliis) promississe. Sed ita feci, & faciam, ut ea omnia non ad suum, sed ad tuum honorem magis redundent. Interim cura diligenter, ut me ames, nam ego te valde amo. Facque, ut tuæ literæ ad me veniant sæpius, si eas ad D. Davidem Hœschelium Augustæ mittas: per quem has tibi mitto ad me tunc sine periculo veni-

ent: Sic Vale *Florentia* XV *Augusti*. 1602.
CIO IO CII.

Inscriptio.

Excellentissimo

D. D. JOANNI KEPLERO,
Mathematico M. C.

PRAGÆ.

EPISTOLA CXXXII.

IDEM

JOANNI KEPLERO.

Quanta mihi hodierno die lætitia ^{1603.} accedebat, mi Honoratissime Keplere: non est hic neque narrandi neque scribendi locus; in eo quod quibusdam literis ex Germania acceptis compertum habeo, & te vivere & salvum esse. Nam jam per annum te pro mortuo habui: & literæ meæ ad Te missæ rursus mihi redditæ: teque neque Pragæ neque usquam inter homines vivos reperi. Ergo te obtestor rogoque ut me certum facias de Tua Valetudine, tuasque literas Augustæ mittas ad Illustrissimum Virum D. Marcum Velsorum meum amicissimum, ut eas ad me mittat. Nam si semel tuas literas accipere possim; statim ad te mandarem quædam inventa corpuscula naturaliter perfecta: etiam forsan egomet ipse ad te volarem antequam ad meam patriam revertere. Nam nullus est in toto hoc mundo, cum quo libentius conloquar: nam si ipse scires quantum & quoties inter omnes literatos totius Italiæ, de te loquutus sim, diceres, me non solum tui amatorem sed amicum fore. Dixi illis de tua mirabili inventionibus Martis: tuumque Prodromum multis monstravi, quem omnes laudant; reliquosque tuos libros avide expectant. Maginus ultra septimanam hic fuit, tuumque Prodromum à quodam nobili Veneto pro dono nuperrime accepit: Galilæus tuum librum habet, tuaque

1603. tuaque inventa tanquam sua suis auditoribus proponit: multa alia tibi scriberem, si mihi tempus daretur; nihilominus te iterum oro obtestorque, ut quam celerrime ad me scribas; interimque Vale, Raptim *Pata-vii XXI. Aug. CIOIOCIH.*

EPISTOLA CXXXIII.

IDEM

JOANNI KEPLERO.

1603. **P**ER tuas quarto die Septembris Pragæ scriptas, mi ornatissime Keplere, pro certo habeo, te vivere & bene valere: quod novum, quam jucundum mihi fuerit, nec verbis nec literis exprimere possum. Spero namque aliquando, relictis istis mundanis impedimentis, ad te cum corpore & anima propius accedere, tuoque divino consortio gaudere; simulque ipsa tua cœlestia opera observare: hic namque ita sum aliorum negotiis & nugis implicatus, ut vix sim apud me. Ast spero, inter aliquos dies liber ero: tibi que semper deditissimus; jube ergo si quid pro Domino in istis regionibus potero. Multas habeo in Astronomia dubitationes, in quibus tu unicus me certior facias. Nam ego opinor mundos esse infinitos; (1) unusquisque tamen mundus est finitus, sicut Planetarum, in cujus medio est centrum Solis: Et quemadmodum tellus non quiescit, sic neque Sol; Volvitur namque velocissime in suo loco circa axem suum; quem motum sequuntur reliqui Planetæ; in quorum numero tellurem existimo; sed est tardior unusquisque quo ab eo distat longior. Stellæ etiam sic moventur ut Sol; sed non illius vi, sicut Planetæ circumaguntur; (2) quoniam unaquæque earum Sol est, in

*Brutii
principia
Astrono-
mica.*

non minori mundo hoc nostro Planetarum. Elementarem mundum nobis proprium & particularem non puto: nam aër est & inter ipsa corpora, quæ stellas vocamus; per consequens & ignis & aqua & terra: Terram autem, quam calcamus nostris pedibus, nec rotundam nec globosam esse credo; sed ad ovalem figuram propius accedere. (3) Nec Solis nec stellarum lumen ex materia, sed potius ex eorum motu procedere, & dimanare judico: Planetæ vero à Sole suum lumen assumunt; quia tardius moventur, & propriis motibus impediuntur. Hæc & quam plurima alia mihi videntur probabilia, sed nunc non est mihi vel tempus vel probandi locus; mihi sat erit; si tuam de his sententiam elicere possim. Interim, quæso, ignosce audaciæ nostræ; & mitte has literas ad tuum vicinum & meum amicum, à quo responsum expecto: interim Vale. *Venetis d. v. Novembris CIOIOCIH. (4)*

EPISTOLA CXXXIV.

LUDOLPH. RIDDERSHUSEN.

N. N.

CLarissime, Doctissimeque Domine Doctor, Fautor & amice singularis, Judicium meum pro virili super Genituram Magni cujusdam Domini per Matrem dilectam mihi missam, Excellentia Vestra habebit, quam primum de loco sive longitudine & Latitudine ejusdem certior factus sim, siquidem sine hisce Figura Cœlestis erigi nequit. Ad hæc Excellentiam Vestram celare non possum, me in Tractatu de Restitutione motus Lunaris, primi Libri Progymnasmatum Generosi viri Domini Tychonis Brahe piæ memoriæ, nonnulla errata, aut alias imperfecta inve-

(1) Hoc præambulum obstitit mihi, quo minus essem attentus ad sequentia. K (2) Hæc quidem semper tenui, sed modum non semper K. (3) Non plane contemnendum. (4) Keplerus 5. April. 1610. Quid potius mirer? Stuporem meum, qui patefacta mihi Naturæ penetralia his literis, cum illas accepissem, introspicere contempsit; adeoque oblivione sepelivi, ut ne postea quidem, cum Clavem eandem ad hæc penetralia quærerem, & invenissem, literarum harum fuerim recordatus. An potius mirer vim Veritatis, quæ duobus sese non una via aperuit? an naturæ ingenium, quæ quod Brutio dedit occulto instinctu à priori, mihi methodo & numeris & oculis eruendum concessit. His literis apparet compendium quoddam meæ Physicæ cœlestis in Marte proditæ. Idem.

1603. invenire, quorum in fine libri inter reliqua nulla fit mentio: Nimirum sub Litera simplici Q folio 3. § 5. post verba: relinquit Eccentricitatis prosthaphæresin subtrahendam ante semicirculum ab Anomalia secundo coæquata, post semicirculum vero eidem addendam. Quam subtractionem additionemque subsistere minime arbitror: Item secundo in schemate sequenti, de Longitudine Lunæ per Triangula Geometricè demonstranda, uti etiam in schemate priori, de Hypothesi Lunari, Notæ, sive literæ demonstrativæ non congruunt literis sive notis textus, aut adeo obscure excusæ sunt in meo Exemplari, ut dignosci nequeant. Postremo, etsi in secundo Exemplo Eclipsis Solis CI O IO CI d. XIV Decembris, Tempus mediæ Conjunctionis statim reductum est ad Meridianum Pragensem: attamen medii motus Solis & Lunæ non correspondent Tempori reducto; & in assignato schemate assumptum est complementum Elevationis Poli Pragæ, pro uno latere Trianguli Obliquanguli. Similiter postea gradus æquatoris non conveniunt horis & minutis veræ conjunctionis, tam in hoc schemate, quam in sequenti. Quoniam itaque, Clarissime Doctissimeque Domine Doctor, res est maximi momenti: idcirco omnibus viribus rogo, ut Excellentia Vestra Cæsareæ Majestatis Mathematicum, Dominum Magistrum Joannem Keplerum super hisce consulere, mihi que explicationem prædictorum latiore aut totum tractatum Lunarem, modo revisus & emendatus fuerit, pro justo precio communicare dignetur. Hoc si obtinero, me hercule, nihil amabilius mihi contingere potest, & omnibus viribus rependam. Deus Optimus Maximus Excellentiam Vestram, peractis negotiis, salvam & incolumem ut ducat & reducat, ex animo precor. Vale quam felicissime. *Bremæ XV Jan. CI O IO C III.*

EPISTOLA CXXXV.

IDEM

JOANNI KEPLERO.

Clarissime, Doctissimeque Domine Magister, Fautor & Mæcenas summa observantia colendissime, post humilem promptorum meorum officiorum oblationem, Excellentia Vestra sit notum, literas Excellentia Vestra, in quibus eadem non solum aliquot à me propositas, sed & plures adjunctas mendas primi Libri Progymnasmatum Generosi viri Domini Tychois Brahe p. m. in tractatu de Restitutione motus Lunaris correxit, addita pollicitatione de communicando Excellentia Vestra Tractatu motus Lunaris, si quando editus fuerit per Clarissimum Doctissimumque Virum, Dominum Doctorem Otthonem Schulten Reverendissimi, Illustrissimique Archi-Episcopi, Domini nostri Clementissimi Consiliarium, jam dudum plus ante annum mihi redditas esse. Pro quibus omnibus & singulis Excellentia Vestra gratias ago & habeo, quas possum, maximas. Etsi autem satis sciam, Excellentiam Vestram longe gravioribus & majoris momenti negotiis esse occupatam, quam ut Eidem meis quæstionibus petitionibusque sim molestus; nihilominus præmissorum intuitu & ardore hujus tam præclari ac divini Astronomici studii impulsus detineor, ut intermittere non possim, quin Excellentia Vestra unum atque alterum erudiendi gratia, oblata hac occasione, per prædictum Dominum & Amicum meum singularem perscriberem. Quia itaque in præfato Tractatu Lunari I. Libri Progymnasmatum pagina 123. De usu Tabulæ Parallaxium adhuc error, cujus in prioribus non est facta mentio, invenitur, ubi docetur; quod sicut se habet Prosthaphæresis Eccentricitatis ad ipsum latus Eccentricitatis, ita Sinus Anomalia secundo-

coæ-

1604. dat, ex animo precor. *Bremæ IV Julii
stilo veteri CIOICIV.*

EXCELLENTIÆ VESTRÆ

Studiosissimus

LUDOLPHUS RIDDERS-
HUSEN.

Inscriptio.

Clarissimo, Doctissimoque Viro
DOMINO JOANNI KEPLERO,
Liberalium Artium Magistro, nec non
Sacrae Cæsareæ Majestatis Mathema-
tico nostro tempore præstantissimo,
Domino, Fautori ac Mæcenati
suo summa observantia co-
lendissimo.

EPISTOLA CXXXVI.

IDEM

JOANNI KEPLERO.

1607. **M**aximas, quas possum, gratias Ex-
cellentia Vestra ago pro corre-
ctis, iisque mihi aliquot abhinc annis
transmissis mendis, quas in motu
Lunæ Primi Libri Progymnasmatum
Domini Tychonis Brahe p. m. de-
prehendi, & nihil intermittam eo-
rum, in quibus Te, Tuosque pro
virium mearum tenuitate, juvare,
grataque mutua officia exhibere po-
tero. Nolui autem Excellentiam
Vestram fugere, quod Dominus Da-
vid Fabricius, Præco Verbi apud
Ostehellenfes in Ost-Frisia, has ad
me transmiserit literas Tibi reddend-
as: addito adhuc hoc, quod,
quamvis unas pluresque olim ad Ex-
cellentiam Vestram exaraverit li-
teras, nihil tamen quicquam responsi
ab illa receperit. Cum itaque Domi-
no D. Ottoni Schultenio Reveren-
dissimi, Illustrissimique Archi-Epi-
scopi Consiliario Bremensi, mei a-
mantissimo, nunquam desit optima
ocasio, qua illæ tam ad Excellentiam
Vestram, quam ad me, & postea
ad Dominum Pastorem possint per-
ferri: Excellentiam Vestram majore

rem in modum rogatam esse velim, 1607.
ut ad me, si quid responsi dederit,
mittat. Deinde quoque non potui
non significare, quod cum Nostratis
Rectoris Andreae Widmarii Opus
Restitutionis Solis & Lunæ ad cal-
cem perductum sit, ita ut Calculus
omnium Eclipsium non minus
Lunarium quam Solarium plurimum
seculorum, tempora in horis & mi-
nutis, nec non in magnitudinibus in-
dicet: ad minimum enim Tempora,
intermedium, secundum Calculum
Alphonsinum & Prutenicum, sicut
illud scriptores annotarunt, prodit:
& Domini Tychonis prædictis Ecli-
psibus consentiat: nihil amplius desi-
deretur, quam certa pecuniæ summa,
ut publici juris fieri possit. Quod
opus auctori, si imprimeretur, sum-
ptus faceret ingentes, qui DCC aut
DCCC Imperiales excederent. In
corporum cælestium motibus tanta
harmonia, tamque elegans propor-
tio dupla, tripla & quadrupla esse di-
citur, ut mirari illa vix quisquam fa-
tis possit. Optarem ut mox prodiret
in lucem. Oro quoque Vestram
Excellentiam, ut dignetur me certiorem
facere, quonam loco sit
Planetarum Restitutio Domini Ty-
chonis, utrumne ab Hæredibus
ejus publicatio sit speranda. Ve-
stram Excellentiam Divinæ com-
mendo tutelæ, diuque valere jubeo
quam felicissime. *Bremæ d. XI. Maji
CIOICVII.*

EPISTOLA CXXXVII.

IDEM

JOANNI KEPLERO.

Quanquam nullus dubitem, quin 1607.
Excellentia Vestra literas illas
Davidis Fabricii, quas per Domi-
num D. Ottonem Schultenium, Re-
verendissimi ac Illustrissimi Archi-
Episcopi Consiliarium, Amicum me-
um amantissimum, ad Excellentiam
Vestram transmissi, rectissime acce-
perit.

1607. perit. Attamen cum paucos ante dies à Domino Pastore rursus per literas cognoverim, Excellentiam Vestram per totum annum & quod excedit, nihil ad ipsum literarum dedisse, mihi injunctum fuit, ut, quamprimum possem, responsum ipsi debitum in memoriam revocarem. Cum itaque ille ante dictus Dominus Doctor cum Excellentia Vestra Pragæ degat, qui Tuas ad me literas rectissime perferendas curabit, communis est illa nostra petitio, ut, cum hæc se offerat occasio, ad priores literas Domino Pastori respondeas, tuumque responsum ad me mittas, ut eo certius ad manus ejus perveniat. Hoc etiam atque etiam mecum optat & sperat, qui sumus Tibi ad omnia mutua officia paratissimi. Hisce diu & optime Vale.
Bremæ XXII Augusti MD CVII.

EPISTOLA CXXXVIII.

WENCESLAUS BUDOWITZ
A BUDOWA

JOANNI KEPLERO.

1603. **D**octissime Vir, Domine & Amice observande: Literæ Tuæ d. hujus Mensis XXIII Pragæ datæ, mihi sunt hodie, id est d. XXIX ejusdem Mensis, redditæ, tibi que gratias ago, quod non modo Pragæ amicitiam & noticiam tuam mihi obtuleris, sed quod etiam me literis tuis ad alendam & conservandam in vitam hanc amicitiam provocare volueris, missis insuper ad me magnis magni illius ingenii tui divinitus Tibi concessi monumentis: quæ, si (absit verbo adulatio) in hac ætate tua juvenili tanta sunt; qualia speramus futura crescentibus cum ætate donis Dei. Labores itaque hi tui omnibus piis grati & utiles futuri sunt. Expedi enim, ut omnes pii si non accuratorem Astronomiæ cognitionem, attamen aliquem gustum illius habeant, quo admirabilis ille Deus in Christo noster, & creator omnium per res

Astronomia studium promovet Pietatem.

illas admirabiles creatas & nobis patefactas admirabilior adhuc nobis reddatur. Si enim nos vermiculi mortales humo reptando cœlestia illa sydera metiri, motus, distantias, quantitates, & qualitates eorum scrutari, & quod magis est, futuras Eclipses ad scrupulum usque prædicere, & ex conjunctione syderum & planetarum de futuris in terra motibus (remota tamen Ethnica superstitione) pie conjectari & ratiocinari possumus: qualem putamus esse ipsum Creatorem, per quem, à quo, & in cujus laudem, & gloriam omnia hæc directa. Quam veras putamus illorum cœlestis Astronomiæ Doctorum prædictiones, ex ipso ore Dei desumptas, imo in tertio cœlo conspectas, nempe oracula scriptis comprehensa Veteris Novique Testamenti? Si enim fides habetur futuræ Eclipsi, & eventus prædictionem comprobat: multo magis habeatur necesse est fides, revolutionibus illis futuris in Ecclesia & Mundo, quas DEUS jam pridem ex suis cœlestibus Ephemeridibus, per sanctos suos Prophetas & Apostolos prædixerat, & quidem tam firmiter, ut passim uno & plenissimo ore Prophetæ clamitent, & Ethnicos derideant Astronomos, quibus tantum datum de futuris ratiocinari, & ea, ceu in tenebris, palpare; non autem expresse prædicere, sicuti prophetis hoc concessum, & divinitus inspiratum, ita ut & nomina eorum, qui nondum in natura rerum erant, veluti Josiæ & Cyri & aliorum, ipsumque tempus adventus aliorum prædixerint. Cognitio itaque Astronomiæ cum oraculis divinis conjuncta, puta cum prædictionibus jam in verbo DEI comprehensis, hoc nostro seculo jam & felicior & utilior est, quam tempore Ethnicorum, quorum prædictiones Prophetæ, imprimis vero Isaias tantopere derisit. In Prognostico tuo hujus anni scribis. *Kepleri Prognosticon anni 1603.*
Anno MDXXIV in signo piscis æque
Cc 3

1603. æque tam multas factas esse conjunctiones Mense Februario, quales hoc anno expectantur, & secutos esse motus in imperio. Sunt ergo istæ conjunctiones, ceu vexilla DEI in cælo volitantia & terrestribus nobis motus futuros denuntiantia: non minus quam cum videmus turmatim milites sub certis vexillis in Hungariam deduci; omnibus ipsisque pueris tum innotescit bellum contra Turcas futurum, verum de eventu belli dici potest illud Mosaicum, quod ille DEUM loquentem inducens ait. *Mysteria mea mihi.* At pie ex illis cælestibus vexillis conjectari non modo nobis non prohibitum sed, etiam concessum, scrutari revelatas in scriptura sacra prædictiones: nempe ne impletas expectemus, sed ad implendas & prædictas attentissimi. Stant ex prædictione DEI lutei Romani Imperii pedes & brachio præpotenti DEI protegitur. Lucescit sub crepusculum lux Evangelii à Zacharia XIV. Cap. prædicta *versu 7.* qui etiam Cap. XIII. *versu 8.* Lustrationem militis Christiani prædixit. Quod tempus dixerim nunc vere appropinquare, antequam DEUS justissima sua judicia in cædendo Gogo Magogque demonstret, antequam reliquiæ Judæorum, detracto velamine Moyfis, ad Christi cognitionem vocentur, quod sane Mysterium & prognosticon nos Spiritus Sanctus per Apostolum Paulum ad Romanos nullo modo ignorare voluit. Item antequam ultima illa, his prædictionibus impletis, ἀπίσεια sequatur, & antequam ultima signa cælestia adventum illum Christi, magni illius DEI & Servatoris nostri, præcedentia adveniant, & nova illa rerum omnium instauratio sequatur. Sed de his hætenus & forsan nimium, quæ tamen, ut scriberem, & quidem calamo celeriori, occasio à Te data, & amor erga me tuus, & mittendi hæc ad Te literas commoditas, effecere. Bene Vale. *Hradisti cis*

Gezeram fluvium XXIIIX *Januarii* 1603.
CICICIII.

Tui amantissimus

WENCESLAUS BUDOWITZ
A BUDOWA

CÆS. MAJESTATIS CONSILIARIUS.

Veiningerum, quem ab eo tempore, quo ipsum promoveram, non vidi, monebo officii sui, prima quaque occasione. Ego pro tuo munusculo duos Ducatos Tibi mitto, meque totum tibi obligo.

Inscriptio.

Doctissimo Domino
Magistro JOANNI KEPLERO
Sacrae Cæsareæ Majestatis Mathematico amico suo charo.

EPISTOLA CXXXIX.

IDEM

JOANNI KEPLERO.

Doctissime Vir, gratissimæ mihi fuerunt literæ tuæ Praga ad me missæ, quibus occasione literarum mearum ad Lehemannum datarum, adeo & amice & humaniter judicium de Parrheliis tuis mecum comunicas, pro qua tua erga me benevolentia omnis generis tibi gratias ago. Figura autem eorum erat illa prior, quam ad Te transmissi. Doctorem Horstium nihil de tempore ortus stellæ, uti promiserat, pronunciare velle, miror. Sed quid miror, cum id ipsum lateat. Condoleo certe illi homini alioquin & literis exculto & judicio prædito, quod in ejusmodi phantasmata inciderit, quæ, suo ingenio & genio singulari fretus, ex libris Esdræ Apocryphis probare nititur, cum illi nullum sensum verbi Theopneusti seu divinitus inspirati habeant. Danielis vero prophetiam de antiquo dierum, quem in terris nunc morari ait, quam ridicule, inepte, ne dicam impie, nescio in quam Ecstasi mentis

1605.

D. Horstius.

1605. mentis interpretetur notum est. DEUS illum ab hoc paroxysmo spirituali clementer liberet, & nos omnes Spiritu sancto suo regat, ut simus sani in fide, id quod sæpe inculcat Apostolus ad Timotheum & Titum. Hungaricos motus audio indies crescere. Cœperant sane cum novo fide, crescent forsitan cum instantibus Eclipsibus: quos motus, ut DEUS ille in Christo noster, pro sua incomprehensibili misericordia & sapientia ad gloriam nominis sui divini & nostram salutem temperet, moderetur, dirigat, & regat, assidue nobis exorandus est. Vale quam felicissime. *Monachogreczii d. VII Aprilis*
C13 13 CV.

EPISTOLA CXL.

JOANNES CONRADUS
GERHARDUS
JOANNI KEPLERO.

1603. **D**ilectissime Vir, Amice vetuste & dilecte; Cum nuperrime apud Affinem meum, Camerae hic praefectum essem, incidi forte fortuna in aliquem, Keplerum, Wilensem, consulentem affinem illum meum, de lite causisque suis, quibus implicitus erat. Audito itaque nomine Kepleri, dicebam, mecum quendam nomine Keplerum, Tubingae studiis operam navasse, postea Gratzium vocatum, ibique locum & honorem Professoris adeptum esse, quarebamque ex eo, utrumne ipsi consanguinitate esset conjunctus. Quod cum ita esse affirmaret, pergebam ex eo quærere, ubinam locorum jam degeret, & an Gratzio quoque per hos annos cum aliis pulsus sit. Cognoscebam itaque incredibilem cum voluptate, Te jam Pragae versari. Cum itaque omnigenam tibi felicitatem & prosperitatem optem voveamque, pervelim ex Te ipso accipere, in quibusnam partibus Mathematicorum studiorum verferis, & quo jam loco sint affecta

opera Tua. Quod autem hoc tempore potissimum ad Te scribo, hæc in causa sunt, ut audies. Postquam Tu, Vir Excellentissime, hic à nobis discessisti, perrexi studio Medicinæ operam dare Tubingæ, gradumque Doctoris Medicinæ in Academia illa consecutus, nuptias celebravi, imprimisque ab Illustrissimo Principe vocatus sum Medicus Kirchiæ & Theckii, & Thermis Polæ præfectus sum, cum honore & salario non contemnendo. Cum autem per binos annos ibi fecissem medicinam, & Illustrissimo Principi ob fidem, diligentiam, studiumque Artis Chymicæ innotuissem, adire jussus fui Stutgardiam, accessione facta Salarii, ut adesset, quo præcipue in chymicis pro Consiliario uteretur. Quod feliciter nunc fere per quinquennium successit. Inter hæc vero ego ardenti febre laborans inque discrimine vitæ confessionem deponens meam, eo processi, ut à nostratibus Theologis dissentire viderer. Me itaque reconvalescere, res eo deducta est, ut inter me & Theologos nostros haberetur colloquium: Inter alia vero, dum illi ad propositos meos syllogismos mihi nimis frigide, nec quæ ad rem pertinebant, responderent, neque ego in eorum sententiam descendere possem, eo Serenissimum nostrum adigerunt, crebris interpellationibus, ut ab officio meo me remove re constituerit. Factum autem id est non ex ira aliqua, sed publicata tres ut moris est, menses ante dimissione. Cum itaque interea usque ad diem, qui Georgio facer, alibi gentium munus ambire statuerim, neque vero mihi ulla externorum locorum sit notitia: hæc, ad Te præsertim, scribere volui, ceu amicum meum & familiarem quondam, etiam atque etiam Te rogans ac obsecrans, ut tantum veteri nostræ amicitiae tribuere, & si munus Medici apud vos vel in vicinia, vacaret, aut si à Cæsarea Vestra Majestate

1603. jectate Medici cujusdam in rebus Chymicis & extractionibus non male versati, manus & opera desideraretur, mihi significare velis per literas. Neque illibenter tali in loco essem, ubi in religione nulla moveretur difficultas. Qua in re, si meam ignorantiam juveris: nihil mihi gratius accidere potuisse, studio, officisque omnibus declarabo. Hisce quam felicissime Vale. *Stutgardia*
I. Non. Februarii. CIOIOCIII.

Tuus ad omnia amici officia

JOANNES CONRADUS
GERHARDUS.

Inscriptio.

Clarissimo & Doctissimo Viro
DOMINO JOANNI KEPLERO
S. C. Majestatis Mathematico Pragæ
degenti, Domino & Amico
suo colendo.

PRAGAM.

EPISTOLA CXLI.

IDEM

JOANNI KEPLERO.

1603. **Q**uia, doctissime Vir, Amice dilecte, hic loci ubi nunc dego, comoda perquam occasio mihi offertur ad Te scribendi, nolui veterem nostram amicitiam familiaritatemque neglectui habere, sed quod ante annum plus minus à me, dum ad peregrinos cogitabam, quibusdam literis inceptum est, nunc ad ipsos profectus iisdem ad jus hoc vetus amicitiae nostrae denuo instaurandum te Pragam usque persequi; qui etsi remotiores utrinque vivamus, frequentiori tamen veredariorum hinc isthincque transitu occasionem habemus subinde colloquendi per literas, cujus nunc initium facio, primum praesentem vitae meae statum enarraturus, postea & tuum requisiturus. Ego superiore vere ineunte, ad explorandum quomodo sese res

in aliis & peregrinis locis extra fines patriae haberent, profectioem suscepit, perlustravique Bavariae Austriae, Moraviaeque fines uno itinere, commoratus interim aliquandiu Ratisponae, durantibus comitiis, qua occasione per bonos amicos tres conditiones vacuas pro Medico comperi, duas prope fines agri Bohemici, unam in Schlacken-Wald ad Carolinas, & alteram in Camb urbe Palatinatus superioris, tertiam vero in Svevia urbe imperiali Donawerdt. Qua re cognita, domum rediit, cum cognatis & amicis consulturus, quis horum locorum potissimum diligendus foret; decernitur, propinquiore commodiore multis rebus mihi esse, propter uxorem, liberos & suppellectilem transportanda, unde mox Donawerdam profectus, officia Senatui civitatis obtuli, functionemque Medici consequutus, nuper me huc cum familia contuli. Annum salarium centum est florenorum, habitanda datur domus splendida & amœna cum sede, ut vocant, libera. Praxin talem reperio, ut ea sola familiam sustentare sperem, nihil de salario usus. **DEUS** det ulterius suam benedictionem & gratiam. Chymia mihi in Medicina nunc demum bene famulatur, cujus ope morbos alioqui desperatos aggrediaur. Habes meum statum brevibus: nunc aveo & Tuum scire, & imprimis, quid novi in Mathesi moliaris, quid Copernizeris, quid cum Tycho tuo agas, quid Pragæ geratur, quid novarum inciderit rerum. Quod si ad requisita hæc mea nunc scribendo amice provocatus amice & quidem copiose responderis, gratisimum mihi facies, nec oblivisceris quoque, si quid Ephemeridum, aut Calendarii, aut Practicæ præmeditatum habes, una mittere, meque ejus rei participem facere. *Donawerdt* XXIX: XIX Decembris. CIOIOCIII.

EPI-